



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

62 Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustificationis  
tuæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

nunquam deposui, illesum me inter hu-  
iusmodi pericula custodiuit. Cuius enim *Psal. 36,*  
in corde lex Dei est, non supplantabuntur  
gressus eius.

62 Media nocte surgebam ad confiten-  
dum tibi super iudicia iustificatio-  
nis tuæ.

**S**criptum quidem est in libro Sapientie, *Sap. 16,*  
præueniendum esse solem ad benedi-  
ctionem tuam: sed amor, & desiderium in  
pectore meo clausum appropinquantem  
solem expectare non potest. Media nocte *Nocte*  
non solum memor eram nominis tui, nō *laudādus.*  
solum meditabar in te requiescens in stra- *Deus.*  
to meo, sed surgebam ad confitendum ti-  
bi. Quod autem dicitur, Media nocte.

Primum indicat etiam ipsam mediam *Primò,*  
noctem, & tenebras occasionem esse remi- *ob bene-*  
niscendi Dei. Ipse etenim, vt notat San- *ficiū no-*  
ctis ipsius. *Lib. 2 de*  
ctus Chrysostomus, quasi pia mater velum *Cōpunct.*  
noctis filio in cunis degenti ad quietem *Conf. lib.*  
clementer expandit: vnde suis versibus, *9. c. 12.*  
quorum B. Augustinus meminit, S. Am-  
brosius hanc Dei clementiam celebrat, in-  
quiens.

Deus creator omnium,  
Polique rector, vestiens  
Diem decoro lumine,  
Noctem soporis gratia.  
Artus solutos vt quies

Red-

Reddat laboris vsui:  
Mentesque fessas alleuet,  
Luctusque soluas anxios.

*Secundò,* *Secundò,* ostenditur commoditas no-  
ob cōmo- sturno tempore orandi: de qua S. Bernar-  
ditatem dus. *Quam* secunda, inquit, ascendit de no-  
temporis. ste oratio, solo arbitro Deo, sanctoque  
*Ser 86. in* Angelo, qui illam superno altari suscipit  
*Can.* presentandam! *Quam* grata & lucida ve-  
recundo colorata rubore! quam serena, &  
placida nullo interturbata clamore, vel  
strepitu! *Quam* denique munda atque sin-  
cera nullo resperfa puluere terrenæ solici-  
tudinis, nulla aspicientis laude, seu adu-  
latione tentata.

*Tertiò,* *Tertiò,* apparet necessitas siue laudis,  
quia sem- siue subsidij, quod indigentiam nostram  
per ege- leuet. Cunctis itaque horis: atque momē-  
tus Deo. tis vtrumque fieri debet. Alterum benefi-  
eijs Dei debemus, quibus vbiq; , semper-  
que fruimur; vt nec tam frequenter, iusta  
*Or. 1. de* Nazianzenum, ducere spiritum debeat-  
*Theolog.* mus, quam Dei nostri, atque beneficio-  
rum eius meminisse. Alterum debemus  
infirmi- tati nostræ, quia per singulas ho-  
ras, præsertim nocte, vt notat Ambro-  
sius, temptationibus pulsamur, contra quas  
præsidia conquirere, & orationis arma  
corripere necesse est.

*Studium* *Quartò,* desiderium ostenditur diuinæ  
*diuinæ* laudis flagrantissimum: quia, vt dictum  
*laudis.* est, non modo solem præuenit, sed valde  
præ-

præuenit. Et, dum alij stertunt, & quasi mortis imagine redduntur inutiles, ipse in laudes Dei seipsum excitat, vt nullo tempore siue mens, siue os eius à Dei laudibus fileat.

Perpetua  
opportu-  
nitas al-  
loquendi  
Dei.

Tandem ostenditur perpetua opportu-  
nitas alloquendi Dei: quod maximum est  
beneficium, & consideratu iucundissimū.  
Ad Reges mortales quam difficiles aditus  
sunt? quam sagaciter odoranda, & captan-  
da tempora? quam patienter expectanda,  
vt eorum copia fiat! Sæpè eorumdem  
quies, & humanæ necessitates aditum mi-  
serorum precibus intercludunt. Non ita  
Rex noster. Non dormitat ille, nec dor-  
mit. Vbique nobis, & semper vacat. Sem-  
per ad eum patet accessus, non modò nullo  
ministerorum impediēte, verum & An-  
gelis, & ipso Domino inuitante. Quauis  
hora nobis libellos supplices porrigere li-  
cet, & in eius sinum nostras necessitates  
deponere. Neque aut lumine indigent  
oculi eius, qui videt in abscondito, & ip-  
se lumen est indiciens: aut sopitæ sunt  
aures, cui silentium loquitur. Non enim  
qui plantauit aurem, non audiet: aut qui  
fixit oculum, non considerat: sed oculi  
Domini super iustos, & aures eius ad pre-  
ces eorum..

*Psal. 129.*

*Psal. 93.*

*Psal. 33.*